

Nr. 126.

ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
H. T.
PRO - DECANVS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS

MEDIC. ET PHIL. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORD. MVS. ANAT. ET NAT. CVRIOS. INSPECT.
ET SOC. OECON. LIPS. SODAL.

PANEGLYRIN MEDICAM
D. XXI. MENS. NOVEMBR. A. R. S. CICIOCCXCIV
HABENDAM INDICIT

ET

DE NAEVIS QVIBVSDAM POLITIAE MEDICAE
ACADEMIIS PLERVMQVE ADHAERENTIBVS
DISSERERE PERGIT.

ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA VATICANAE
H. T.
PRO - DECANVS
CHRISTIANAS FRIDERICAS
NAPOLIENSIS
MEDIC ET PULM DOCT ANATOM ET BOTAN PROF
LAEF ORD MAS ANAT ET NAT. CARIOZ INSTITUT
ET SOC OCCON INTE SODAL
PUNICARIN MEDICIN
XXV MENS NOVEMBER A.D. M. C. CLIVOCXII
HABENDA INDICIT
ET
DE Natura Quaestio de Medicina
ACADEMIS HIRANOIS UNIVERSITATIS
DISSEMINIS ET LITERIS
Dissertatio de medicina et hiranois
de medicina et hiranois



Veniamus ad carceres. Constat enim inter omnes, hunc esse antiquitus receptum, frequentissimumque morem, quo in academiis fere omnibus vel effrauenis iunenum petulantia ac licentia coercenda, vel morum ferocitas, improbitas, ac perueritas corrigenda, vel iusta legum academicarum auctoritas vindicanda est. Quemadmodum vero prima priorum academiarum oeconomia ab arbitrio papali quam maxime dependebat, et ad normam status clericorum olim instituta fuit, ipsique Professores pariter atque Studiosi clericis etiamnum adnumerantur: ita vel huius academicae punitionis ortus a monachorum carcere repetendus esse videtur. Iam silentio praetereo, quid communi academiarum bo-

❧ ♚ ❧

no magis conueniat, utrum nempe multa pecunaria carceri sit praeserenda, et annon illi, qui in re quadam delinquent, loco huius punitionis potius multandi sint, ne scilicet, siue temporis irreparabilis, siue praelectionum academicarum iacturam male patientur. Haec, inquam, iam ego non vrgo, cum ea de re vltro citroque soleat disputari, otiumque mihi fecerit Celeberrimus SCHLOEZERVUS, qui super hac causa nuperime copiosius ac docte exposuit. Quo magis autem ab aequis rerum arbitris diligenter elaborandum est, vt iusta quaedam sit inter commissa delicta indictamque poenam proportio, tanto magis illi hoc quoque cordi habeant, necesse est, ne quid illis, qui in carceribus detinendi sunt, bonae valetudinis damnum inde eueniat. Haec igitur loca satis ampla, et spatioſa, non nimis humilia, aeri liberiori sufficienter exposita, facile ventilanda, fenestris sufficienter largis instructa, clara quoque et lucida, probe pura, ac neque pernicioſa humiditate, neque integratis vaporibus, aliunde prouenientibus inquinatis, neque minus ita comparata esse debent, vt eorum incolis saltim libere deambulando corpus tunc aliquantulum mouere licet. At enim vero quae, qualis, quamque deploranda plerorumque carcerum academicorum conditio? quam detestabilis facies? Certe, nisi peior, vix tamen ac ne vix quidem melior eorum, quales a Summo illo HOWARDO, miserandam captiuorum, durius inclusorum, sortem calamitatemque acerbius dolente, quondam perlustrati, viuisque coloribus descripti sunt. Equis enim est, qui inficias ire audeat, ista captiuorum academicorum domicilia in locis saepenumero absconditis, humidis,

pro-

profundis, aëri perflanti parum peruiis, hinc, situm putroremque redolentibus, reperiri, esseque haec ergastula ad instar speluncarum tenebricosarum pere exigua, angustissima, humillima, obscura, fenestris summe paruis, itemque parietibus, nigredine obductis, praedita, supellecile spurca, foedisque insectis, aliisque vermiculis scatente, instructa, halitibus mephiticis, e latrinis proxime coniunctis prodeuntibus, fumoque plurimum suffocante nunquam non repleta. Inde vero morbos spureissimos, eachechicos, periculosissimos, contagiosos, putridos, vereque pestiferos, siue in illis, qui captivi tenentur, siue in aliis, quibus cum iisdem res habenda est, facile generari posse, praecepit tunc, quando pluribus delictorum sociis talia ergastula simul inhabitanda sunt, vel ipsae febres carcerum, quales ideo dicuntur, luculentissime comprobant. Neque apud nos exempla desunt funestarum eiusmodi infectionum, e carcerebus olim procreatarum. Nempe ante aliquot annos accidit, ut studiosus quidam, propter aës alienum contractum, ad carcerem damnatus, eoque delatus, febre quadam continua corriperetur. Constitutio aëris, quae tunc grassabatur, valde humida et frigida erat; ipse vero in tantis verlabantur angustiis, ut ei parcissime viuendum esset. Idem postea, morbo iam multum aucto, iussu medici, qui ei tunc adstabat, in domicilium proprium deportatus fuit, quo tanto melius curae eius propisci posset. Sed quid fit? Adeo posthaec ingrauecebant symptomata omnia, ut, neque de miasmate quodam putrido, neque de morbo vere acuto, amplius relinquetur dubitatio, nec nisi aegre aegrotus ipse sanari posset. Hanc vero



de contagione praegressa sententiam magis confirmauit hoc, quod paulo post non solum foemina, quae curam aegroti administraverat, verum etiam tyro quidam medicus, qui munere famuli tunc persungens, illum saepius inuiserat, eodem morbo, iisdemque grauissimis symptomatibus, delirio praesertim stipato, infecti atque comprehensi sunt. Prior pereundum erat, alter, non sine multo labore et opera, tandem cum sanitate in gratiam rediit. Quo tamen tantas labi politiae, sanitatis publicae curam gerentis felix medela afferretur, ex sapienti Patrum Academiae decreto, iam ante plures annos natus, idemque salubrior carcer, in collegio D. Augusti exstratus, et aptatus est.

Sed agel ad tertium veniamus, quod balnea, et lauationes in flumine concernit. Quod si enim ad medicinae politicae leges rem examinare velis, haud exigui momenti macula academiis vtique adhaeret. Inter omnes nimurum constat, tales in flumine lauationes ciuibus academicis vt plurimum interdictas esse. Ita enim apud nos lex vicesima prima praecepit: *nemo in Albi lauet, aut notationes instituat: Qui fecerit, poena arbitraria afficietur.* At enim vero quis est, qui non vltro intelligat, bono quidem consilio, fineque optimo haec sancta esse, ad fatalem videlicet in aqua submersionem caute prouidendum, ac ne quis eorum, quos in sinu sount Patres academiae, male violenterque pereat? His tamen non obstantibus neutiquam negari potest, balnea frigida in fluminibus ipsis potissimum instituta, ad summa siue corporis roborandi ac confirmandi,

firmandi, sive valetudinis tuendae ac conseruandae, sive eiusdem reparandae ac restaurandae praesidia pertinere. Qui proinde mirandum est, tales lauationes pariter atque natationes non solum ab omni aeuo magni semper habitas fuisse et commendatas, et vel apud priscas gentes admodum plurimas, in primis bellicosas, Spartanorum puta, Teutonum, et aliarum, sub ipsa legum auctoritate strenue praeceptas, verum etiam ad medicinam gymnasticam olim relatas esse, neque minus secundum artis paedagogicae recentiorum praecepta diligenter et mature institui solere? Quid? quod tam egregia est, adeoque insignis balneariorum, in torrentibus factorum, utilitas, ut vel hodienum a medicis sagacioribus tanquam praestantissimum remedium dieteticum iuxta, atque therapeutica iure meritoque aestimetur ac extollatur. Si qui igitur sunt, qui iam a prima nativitate multum debiles et infirmi existant, aut, quae misera est ingeniorum plerumque praeocium conditio, qui permagna nerorum sensibilitate ac irritabilitate laborent, aut qui, sive ex infantilibus, iuvenilibusque morbis grauiter perperfisis, sive e nimis mentis laboribus, ac meditationibus profundioribus, sive ex aliis vitiis, virium corporis labefactionem praegrandem acquifuerint, quibusque vel ideo cum variis morbis, potissimum chronicis, cephalalgicis, vertiginofis, paralyticis, ac epilepticis, hypochondriacis, catarrhalibus, rheumaticis, haemorrhoidalibus anomalis, euacuatoriis enormibus, ac extenuantibus, cachecticis, tabidis, et numerosis istius generis aliis cereberrime confitendum est; aut qui munditiei amantissimi squalorem cutis diligenter abstergere studeant, quo a variis



variis inde prouenientibus molestiis se immunes praesent; his, inquam, omnibus communis medicorum consilio saepe in flumina descendendum, et in his solant salusque quaerenda est. Quae cum ita sint, quid aequitati, iustitiae, et humanitati magis aduersari potest, quam detrahere velle miseris medelam, quam et ipsae res afflictiae postulant, et ratio suadet, et vobis commendat? Nonne vero melius consultum foret, si, quibus sanitas ciuium publica pro muneri ratione curanda est, prudenter prospicerent, ne quis vnguam valetudinis tuendae causa flumini petens, in vitae discrimen venire posset? Ad hanc ideoque labem rite abstergendam auctoritate publica, sumptibusque publicis vel ad fluminum ripas aedes, balneis instituendas, ac lauationibus accommodatae, exstruendae essent, vel signa erigenda, ad loca periculi experitia denotanda, vel singulares custodes constituendi, qui aduenientes instruerent, iisdemque open ferre deberent.

Sunt quidem, praeter haec, quaedam adhuc in promtu, quae maius haud leues comprehendunt, quibus res medicinae politicae plerumque in academis polluta est, alia opportunitate, in posterum se oblatura, vterius exponenda.

Transeamus potius nunc ad commendationem eius, cuius in honorem vel hanc ipsam prolusionem exarauimus. Est nimurum ille

Vir Eximius ac Praefantissimus,

C A R O L V S F R I D E R I C V S T E M P E L,
MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS atque DOCTISSIMVS,
qui de vita ac studiis suis ipse consignauit haec:

In

*In vitam introiū Vitebergae ipsis nonis Aprilibus anno 1768,
natus parentibus nominatim, IOANNE CHRISTIANO TEMPELIO,
patre, Academiae Vitebergenſis ministro publico, matre, CAROLINA
ELISABETHA, e gente LEYSERIA oriunda. Quos parentes Sum-
mi Numini beneficio viuos adhuc ac saluos, quousque viuo, summa pie-
tate prosequi haud defnam, Deunque precabor, ut merita eorum de
me praemitis remuneretur uberrimis. Praeter physicam enim educationem,
mentis quoque culturam curae cordique habuerunt, ideoque a
primo iam iuuentute praeceptoribus me tradiderunt domesticis, insti-
tuendis, qui me principia religionis christianae, literasque, quibus
actas puerilis erudiri solet, diligenter docerent. Anno aetatis undeci-
mo, lycæo, quod Vitebergæ floret, insertus sum, ibique a MESSER-
SCHMIDIO b. Redore, et religionis præcepta solidiora, et Latii
Græciaeque lingua accepi. Omnes tamen literas, quæ iuuenem præ-
parant ad studium academicum cum fructu emetendum, indefesso studi-
tam in publica, quam præcipue in priuatissima, institutione mihi tradi-
dit Excell. HENRICI, tunc temporis lycei nostri Conrector, cuius
viri magna de me merita idonea laude officere nunquam possum. Fructus
quoque haud vulgaris in me redundauit ex institutione Excell. b.
HILLERI, quem non solum in seminario, verum etiam inter priuatatos
parietes varios autores classicos enucleantem audiuisse, semper laeto ani-
mo recordabor. Sic infraclus, anno 1785, cursum academicum in-
choaturus, Magnifico ac Summe Venerabili DRESPIO, Académiae
fæces tunc tenenti, promissionem præfici, in numerum ciuium rei-
publicae literariae anno iam 1772 a S. V. WERNSDORFFIO b.
receptus. Quanguam hoc iam tempore Aesculapii castra sequi statutum
habebam, notui tamen statim animum disciplinis medicis addiscendis oc-
cupare, eas potius artes, quae ad humanitatem ducunt, quasque tunc
primus iam gisaueram labris, præmittendas, magisque excolendas esse
putans. Adii ergo scholas Excell. HENRICI, in prælectionibus aca-
demicis iusque publicis Suetonium, Horatium, Anacreontem, antiquita-*



tesque graecas et latinas explicantis, nec non Excell. ZEVNII b. va-
 rios Xenophontis libros exponentis. In metaphysica, logica atque phi-
 losophia morali Excell. HILLERO, posteaque Magnifico ac S. V.
 REINHARDO, praeceptoribus usus sum. Variis historiae partes
 Excell. SCHROECKHIVM, physicamque et theoreticam et experimen-
 talem Excell. TITIVM tradentem audiu. Animo sic ad cogitandum
 et indicandum magis exercitato, medicorum scolias fletatus sum, atque
 ab Exper. NVERNBERGERO botanicam, osteologiam, myiologiam,
 reliquaque disciplinas anatomitas didici, simulque opportunitatem sae-
 pius nactus sum, descriptas in scolais corporis humani partes, in ca-
 daueribus, ad publicam institutionem dissecari, oculis contemplandi, eo-
 que duce dexteritatem quandam in dissecandis corporibus mihi compa-
 randi. Physiologiam quoque uniuersam, splanchnologiam physiologi-
 cam et pathologican, bromatologiam, et herniologiam idem praeceptor
 me erudiuit. Illustris et Exper. LEONHARDI praelectoribus in
 pathologiam, chirurgiam, medicinam foresem, chemiam theoreticam,
 et experimentis illustratam, pharmaciam, materiamque medicam habi-
 tis interfuit. Eiusdem scolias disputatorias, exercitationi in scribendo
 ac differendo de rebus medicis dicatas, quinque amplius annos frequen-
 tavi, quo tempore mihi contigit, bis fibellos edere gratulatorios, alterum
 de receptis consuetudinibus temere non abrogandis, alterum de abuso salium quorundam mediorum. In scolais deni-
 que, quibus examinando profectus discipulorum in medicina et theore-
 tica et practica investigare solebat idem praeceptor, in omni fere dis-
 ciplina medica me instituit, et, quod maximum fere, quo felicius, quae in
 scolais didiceram, aliquando in salutem aliorum exercere possem, agrico-
 torum curam benignissime mihi permisit. Quicquid autem in therapia
 generali atque applicata, vulgo speciali nominata, profeci. Experi-
 entissimo BOEHMERO acceptum risero, qui non solum utramque bis me
 docuit, sed etiam priuatos inter parietes me, confidentem ipsum, sapien-
 tissimis praceptis adiuvit. Tanta vero sunt liorum Praeceptorum
 suscipiendorum erga me merita, ut uallam partem eorum non modo res-
 tenda,

renda, sed ne cogitanda quidem gratia, consequi possim. Neque enim solum in me instituendo atque formando indefessi semper fuere, sed etiam multis per multis beneficiis in me collocatis, me quam maxime sibi obstrinxerunt. Quae omnia sautoris documenta, sicut, quoisque viuo, grata recolam memoria; ita quoque a Summo Numinе incolumitatem eorum perpetuum nunquam non exorabo. Multis quoque benevolentiae haud vulgaris documentis, consilisque saluberrimis saepius mihi dati Experi-
 TITIVS me sibi obligauit. Experi. LANGVTHII praelationes in
 artem obstetriciam, chirurgiam, historiamque naturalem, et Experi.
 FRENZELII in anatomiam comparativam et artem veterinarianam fre-
 quentauit, adeoque partem cognitionis meae his Viris me debere, gratias profiteor. Quam studiorum rationem per quinque annos fecutus, anno
 1790 a Gratijs Medicorum Ordine peti, ut ad examen pro Candi-
 datura admitterer, eoque feliciter superato, in Candidatorum numerum
 sum receptus. Ab hoc inde tempore indefesso studio cognitioni medicae
 perficiendae operam dedi, adiems per aliquot annos scholas pra-
 ticas. Cum autem docendo, Seneca iudice, discamus, magnam tem-
 poris mei partem institutioni tyronum in medicina, primum privatissi-
 ma, deinde publicas dicauit, et quo melius in publicam utilitatem con-
 ferre, tutiusque argrotis opem et salutem ferre deserem, duribus Prae-
 ceptoribus Experientissimi artem medicam hucusque exercui. Neque
 silentio praetereundi sunt, quorum beneficio faustum est, quo felicius et
 facilius hoc studium academicum emerire. Ante omnia laudanda mihi
 est ELECTORIS SERENISSIMI munificentia, qui per
 quinque sive annos stipendiis Electoralibus minoribus, et per duos an-
 nos magno, et meas egregie subleuauit. Per quatuor quoque annos
 universitatis ACADEMIAE PROCERES stipendi Kornfaihani fru-
 etum concederant mihi liberalissime. Quemadmodum vero tantorum
 beneficiorum gratiam memoriam nullum unquam tempus obliterabit;
 ita Summum Numen omni tempore a me oratum iri, sancte spondeo,
 ut hos Patronos omnibus cumulet bonis, quibus vera salus ac felicitas
 paratur.

His



His ita litteris praeparatoriis rite imbutus, et adeo im-
probo labore, studiisque indefessis Candidatus noster tantam
sibi scientiarum medicarum breui comparauit supellectilem,
vt non solum aetatis suae commilitones superaret quam pluri-
mos, verum etiam vt vel ipse Ordo noster eidem lubenter
applauderet, et ante quatuor annos iam primo cum honoris
gradu exornaret. Neque etiam potuimus, quin, cum de Me-
dico-Physico Praefecturae Liebenwerdenis et Muchlbergenis
denuo constitudo quaestio oriretur, SERENISSIMO PRIN-
CIPI diligenter eum commendaremus. Atque huius ipsius
muneris causa, ipsi clementissime concrediti, iam in eo est, vt
in Medicinae Doctorum numerum cooptari aueat. Fiet hoc
praemissa Dissertatione inaugurali, *Aetiologiam laxitatis ac debi-*
litatis morboae pertractante, cuius ipse Auctor est, quam pro-
ximo die XXI. Mens. Novembr. nullo comitatus Praeside, quod
singulari ELECTORIS OPTIMI gratia ipsi concessum est, pu-
blice defendet. Quem actum solennem ut praesentia sua illu-
strare velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS,
COMITES ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES LIBERI BARO-
NES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI CELEBERRIMI,
ac reliqui BONARVM LITTERARVM FAUTORES omnes, item-
que COMMITITONES GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI
omni qua decet obseruantia oramus et rogamus. P. P. Do-
minica XXII. post Festum S. S. Trinitatis CIOCCXCIV.

VITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRIL.

all

81d 2730
\$ 40





ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
H. T.
PRO - DECANVS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS

MEDIC. ET PHIL. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORD. MVS. ANAT. ET NAT. CVRIOS. INSPECT.
ET SOC. OECON. LIPS. SODAL.

PANEGLYRIN MEDICAM
D. XXI. MENS. NOVEMBR. A. R. S. CICIDCCXCIV
HABENDAM INDICIT

ET
DE NAEVIS QVIBVS DAM POLITIAE MEDICAE
ACADEMIIS PLERVM QVE ADHAERENTIBVS
DISSERERE PERGIT.

